

diversum esse a Durobrivis itinerarii (p. 475, 1) hic non diiudico; mensurae quidem a Lindo colonia computatae videntur in universum convenire, sed miliarium illud numero LI signatum ubi steterit incertum est.

In universo *Buckingham* comitatu praeter villarum rusticarum et sepulcrorum vestigia non multa (cf. Goughs *Camden* 2 p. 39; G. Lipscomb *the history and antiquities of Buckinghamshire*. Lond. 1847 4 voll. 4. passim; I. Y. Akerman *Archaeologia* 34, 1852 p. 21 s.; H. Lapton apud C. R. Smith collect. ant. 4, 1857 p. 155) uno tantum loco repertae sunt tabellae votivae argenteae quaedam (n. 80—82), quae sacelli alicuius situm ibi fuisse videntur indicare; nam errore ad insignia militaria eas pertinuisse suspicatus est editor Sam. Lysons.

Similiter in *Oxfordshire* variis locis prodierunt prodeuntque reliquiae Romanae (cf. in universum post *Camdenum* R. Plot *natural history of Oxfordshire* Oxon. 1677 fol., ed. II ibid. 1705; *White Kennet parochial antiquities attempted in the history of Ambrosden, Barcester* cet. Oxon. 1695 4.; Goughs *Camden* 2 p. 3. 14; *Archaeologia* 27, 1838 p. 298. 32, 1847 p. 392; *archaeol. institute, Oxford meeting 1850*, Lond. 1854 8.), ut villarum prope *Stunsfield* (cf. I. Pointer *an account of a Roman pavement lately found at St.* cet. Oxon. 1713 8.), *Northleigh* (cf. Skeltons *engraved illustrations of the principal antiquities of Oxfordshire, from original drawings from F. Mackenzie*. Oxon. 1823 fol., *Wotton hundred* p. 10. 13), *Wheatley* (cf. *assoc. journ.* 2, 1846 p. 350. 3, 1846 p. 116. 4, 1847 p. 74), castrorum in *Alchester* (cf. I. Dunkin *the history and antiquities of Bicester... to which is added an inquiry into the history of Alchester*. Lond. 1816 8.; *assoc. journ.* 12, 1856 p. 176) et aliis locis (cf. A. Beesley *the history of Banbury* cet. Lond. 1841 8.; O. Halliwell *archaeologist* I 2, 1847 p. 1 ss.; Dr. Giles *history of Bampton* cet. ed. II Lond. 1848 8. et eiusdem *history of Witney* cet. Lond. 1852 8.). Sed in solo *Dorchester*, quod cuinam oppido veteri respondeat incertum est, titulus prodiit unus (n. 83) a milite positus. Oxonii in florentissima studiorum sede inter titulos Graecos et Latinos multos ex longinquis regionibus ibi congestos vix unus alterve est in Britannia repertus (n. 23 168) editusque cum illis a Seldeno, Prideaux, Maittaire, Chandler. In museo Ashmoleano servantur praeterea reliquiarum per regiones illas detectarum specimina selecta (cf. P. B. Duncan *reliquiae Romanae or specimens of the arts of the Romans found in England and Wales*. Oxon. 1836 8.); sed patellae tantum aliquot inscriptae nobis inde profuerunt.

De *Berkshire* comitatus antiquitatibus post *Camdenum*, Eliam Ashmole (*the antiquities of Berkshire*. Lond. 1719 3 voll. 8., ed. II Reading 1736 fol.), Thomam Hearne (*a letter containing an account of some antiquities between Windsor and Oxford*. Oxon. 1725 8. et in *Lelandi itin.* ed. III vol. 5 p. 127 ss.) eaque quae Ric. Gough *Camdeno* addidit (1 p. 213. 222 ss.) egerunt H. Beeke (*Archaeologia* 15, 1806 p. 179) et nuper comes

de Carnarvon et T. I. Pettigrew (*assoc. journ.* 16, 1860 p. 1 ss.). Adde de equi imagine formae et magnitudinis mirificae (longa enim est pedes 325) excisa ex solo rupis calcariae prope *Ashdown*, quam *the white horse* dicunt et ad Aelfredi regis victoriam de Danis reportatam referunt, libellos mutuos irae plenos Francisci Wise (*letter to Dr. Mead concerning some antiquities in Berkshire*. Oxon. 1738 4. et *further observations upon the white horse and other antiquities in Berkshire*. Oxon. 1742 4.) et Georgii North (*Philalethes Rusticus... refutation of Mr. Wise*. Lond. 1739 4. et *an answer to... Mr. Wise's letter to Dr. Mead*. Lond. 1741 4.; praeterea Goughs *Camden* 2 p. 222; *Archaeologia* 31, 1846 p. 298 et T. I. Pettigrew *assoc. journ.* 16, 1860 p. 30), item qui de singulis locis scripserunt, ut de *Basildon* eiusque pavimento C. R. Smith (*Archaeologia* 28, 1840 p. 447, collect. ant. 1 p. 65), Guil. Hensett (*the history and antiquities of the hundred of Compton* cet. Reading 1844 8.), alii (*Archaeologia* 19, 1821 p. 96 ss.; *the history and antiquities of Newbury* cet. Lond. 1839 8.; *archaeol. journ.* 4, 1848 p. 279 ss.; *assoc. journ.* 16, 1860 p. 70 ss.). Viarum Romanarum vestigia diligenter, ut solet, Gough composuit (1 p. 227); idem tituli meminit unci in regione illa reperti (1 p. 238) et editi a Ier. Milles (*Archaeologia* 2, 1773 p. 129 tab. 13 fig. 9), qui est saeculi XII.

Ad *Hertfordshire* pertinent Verulamii, quod fuit regis Cassivellauni oppidum (cf. *Caes. bell. Gall.* 5, 21; *Tacit. ann.* 14, 33; *Ptolem.* 2, 3, 21; *itin. Anton.* p. 471, 3. 476, 8. 479, 8; *Rav.* 5, 31 p. 429, 11), reliquiae exstantes prope *St. Albans* (cf. Goughs *Camden* 2 p. 61. 71; *Vetusta Monumenta* 1, 1747 n. 8; I. Yates *archaeol. journ.* 22, 1865 p. 299), ubi nuper theatri Romani vestigia detecta sunt (R. Grove Lowe *description of the Roman theatre at Verulam*. Lond. 1848 8. cf. *archaeol. journ.* 4, 1848 p. 327; *assoc. journ.* 4, 1849 p. 187; Th. Wright *wanderings* p. 42); tituli vero nulli. In aliis quoque eius comitatus locis variis antiquitates effodiuntur (cf. in universum praeter *Camdenum* et Ric. Gough 1 p. 59. 65 *Henr. Chauncey the history and antiquities of Hertfordshire*. Lond. 1700 fol.; N. Salmon *the history of Hertfordshire* cet. Lond. 1728 fol.; Rob. Clutterbuck *the history and antiquities of the county of Hertford*. Lond. 1815—1827 3 voll. fol.; adde quae observantur in *Archaeologia* 17, 1814 p. 335; 24, 1832 p. 350. 351; 26, 1836 p. 368; 27, 1838 p. 484; 35, 1853 p. 56 et in *proceed. of the soc. of antiq.* 4, 1859 p. 285); sed patellarum tantum titulos inde enotandos habuimus. Uno tantum loco, qui est prope *Barkway* (versus meridiem a *Royston* oppido, quod *Stukeleii* commentis notum est, cf. eius origines *Roystoniae* Lond. 1743/6 4. quaeque contra eas scripsit C. Parkin Lond. 1744 et *Norwich* 1748 4.), reperta sunt sigilla et laminae tam aeneae quam argenteae ex parte inscriptae (n. 84—86); sed possunt illae casu huc delatae esse, quanquam viae Romanae (*Erminestreet*) tramitem ibi prope esse observaverunt editores.

78 *Irchester* prope *Wellingborough* rep. c. a. 1853 in situ castrorum Romanorum. Est lapis longus ped. 3 dig. 6, altus ped. 1 dig. 8. Servatur Londinii in museo Britannico dono Guil. Allen. Litterae sunt grandes, sed non bonae, saeculi secundi.

D · M · S ·  
ANICIUS · SATW  
STRAT · ES · M · S · F

*D(is) M(anibus) s(acrum). Anicius Sator strator  
co(n)s(ularis) m. s. f(ecit)*

Descripsi. C. R. Smith collect. ant. 3, 1854 p. 251. Cognomen potest etiam fuisse *Satur(inus)*. Quid m·s significet ignoro; vix enim erit *m(onumentum) s(ibi) f(ecit)*. [Potest esse *M(oesiae) s(uperioris)*. Th. M.]

79 *Chasterton* (indicari videtur aut *Great Casterton* prope *Stamford*, aut *Chesterton Lordship* a *Castor* versus meridiem situm in *Huntingdonshire*) rep. (ante a. 1828) in situ castrorum (in removing a part of the old wall on the north side of the fortified ground). Litteris bonis.

MARTO

Artis Durobrivae tab. 15 fig. 1.

80 *Stony Stratford*, lamella argentea quadrata (alta m. 0.05, lata 0.04). Litterae sunt tenues et fugitivae. Servatur Londinii in museo Britannico.

D E O  
IOVI ET VOLCA  
VASSINVS  
CVM VELLI  
5 NT ME CON  
SACRA TVM  
CONSERVA IE  
PROMISI DENA  
RIOS SIX PROVO  
10 TO SAR EST

*Deo Iovi et Volcano Vassinus. Cum vellint me consecratum  
conserva[re], promisi denarios sex pro voto.....*

Contuli. Lysons rel. Brit. Rom. 2 tab. 39 fig. 7. 4 Lineola obliqua post m litteram videbatur fortuita esse. 7 CONSERVAI Lys.; e minuta in fine incerta est. 10 R incerta est. Latetne sa[lutis r]est(itutae)?